

Januensium ad invicem inter ipsas partes interposita stipulatione solemniter in singulis capitulis hujus contractus promissa, quæ toties committatur, & exigi possit cum effectu, quoties contra factum fuerit in præmissis, & quolibet præmissorum, quæ pœna soluta, vel non, rata maneant omnia, & singula supra scripta. Item reficere, & restituere una pars alteri ad invicem omnia, & singula damna expensas, & interesse, quæ, & quas una pars occasione alterius, sive culpa fecerit, vel substinuerit in judicio, sive extra. Pro quibus omnibus, & singulis firmiter observandis obligavit dictus syndicus vice, & nomine quo supra dicto Domino Aquensi Episcopo accipienti, & stipulanti ut supra omnia bona communis, & hominum loci de Cavatorio. Et ipse Dominus Episcopus suo, & successorum suorum nomine obligavit dicto syndico recipienti, & stipulanti, ut supra omnia bona Episcopalis mensæ, & Ecclesiæ Aquensi. Et inde duo instrumenta, & plura &c. Ego Joannes Bestagnus 20 Notarius S. Palatii his omnibus interfui, & hanc cartam mihi jussam rogatus, sic scripsi. Ego Joannes de Quiregio Novariens. diœc. Imperiali auctoritate Notarius &c.

(1) *In alio exemplari Lorili, in alio Coxili.*

(2) *In ipso sunt descripta nomina consiliariorum, qui procuracionem syndico commiserunt hoc modo. Nomina consiliariorum sunt hæc: Joannes de Verdexio, Bolengus de Verdexio, Jacobus Marenchi, Jacobus Oriolus, Joannes Jordanus, Xandia Scutus, Percevallus Auricula, Franciscus Aqueis, Jacobus de Vineis, Henricus Donda, Henricus de Buria, Joannes Camparius, Petrus de Vineis, Montanus Camparus.*

Memoria census a delectis viris civitatis Aquensis descripti anno.

281

M C C C X X V.

Ego Gullielmus de Belleratis Notarius, & deputatus super registris Aquis (1) has particulas extraxi de quodam registro communis, & hominum civitatis Aquensis de tricerio de burgo factum de anno Domini MCCCXXV. per sapientes viros deputatos per consilium generale civitatis. Sunt autem eorum nomina sequentia, D. Jacobus, D. Guertii, Jacobus Baldezonus, Ferrarius Racamus, Bonellus de Oxilo, Franciscus Bellexius, & Burgognonus Multura, Petrus Aguxius, Albertus Bava, Jacobus Christianus, Franciscus Bessurius, Enricus Cassul, Albertus de Porta, Albertus Gelinus registratores electi &c.

(1) *Hic vivebat tempore Guidonis II. Episcopi, ut patet ex docum. ad ann. MCCCLXVII.*

Denunciatio Theodoro M. Montisf. injuriarum, & occupationis Castelleti Alexandri Asinarii Astens., ut Eccl. Aquens. adversus istum tueatur.

282

M C C C X X II.

In nomine Domini amen. Anno nativitatis ejusdem MCCCXXXII., indict. XV., die Lunæ XVII. (1)

januarii in Montilio, scilicet in Ecclesia S. Antonii præsentibus Dominis Percivallo Abbate S. Petri Aquensis, Lazaro de Cortexellis, & Joanne de Carisio testibus vocatis, & rogatis. In quorum præsentia testium Rev. Pater D. Oddonus Dei gratia Aquensis Episcopus suo nomine, & vice majoris Ecclesiæ Aquensis requisivit, & præmonuit Excellentissimum virum D. Theodorum marchionem Montisferrati præsentem, & audientem, quod ipse Dominus Marchio suo posse debeat juvare, & juvare velit, manutenere, & defendere ipsum Dominum Episcopum, & Aquensem Ecclesiam sub debito Sacramento fidelitatis, ad quod ipsi Domino Aquensi Episcopo, & Ecclesiæ prædictæ ipsi Dominus Marchio tenetur contra, & adversus D. Alexandrum Asinarium de Ast, ejus homines, & seguaces, & coadjutores ipsius D. Alexandri, qui contra Deum, & justitiam ausu temerario, & sacrilego invadere, & occupare præsumpsit castrum, & villam Castelletti juris, & proprietatis ipsius Domini Episcopi, & Aquensis Ecclesiæ spoliando ipsum Dominum Episcopum, & Aquensem Ecclesiam pacifica possessione juris, & proprietatis castri prædicti, in qua possessione ipse Dominus Episcopus erat, & pacifice possidebat, & tenebat tempore dictæ occupationis, & invasionis factæ per ipsum D. Alexandrum, & ejus sequaces, ut supra. Et qui etiam D. Alexander cum sequacibus, & coadjutoribus suis guerram quotidie invadendo, & offendendo ipsi Domino Episcopo, & hominibus Episcopatus ipsius Domini Episcopi realiter, & personaliter facere conantur prout publicum est, & notorium, & quod non possit ulla tergiversatione celari; præcipiens idem Dominus Episcopus exinde fieri instrumentum, & plura per me Notarium infra scriptum. Ego Albertus Bava de Aquis publicus Imperiali auctoritate Notarius his omnibus interfui, & rogatus scripsi.

(1) *Erat Sabbatum.*

Excerpta fæderis inter Regem Robertum, & Manfredum M. Salut. a Pingonio in suo codice Jofredi ab. Eccl. annotata.

MCCCXXXIV.

283

Vidi in manibus Ill. D. Cassiani Putei præsidis instrumentum anno MCCCXXXIV., XII. febr. actum Astæ in domibus Isnardorum, ubi habitabat Senescalcus Regis Roberti. Pacta sunt inter Regem Robertum, & Manfredum marchionem Salutianum, & ejus filios Manfredum, Theodorum, & Bonifacium. Pro Rege erat Philippus de castro Pazano miles, Senescalcus comitatus Pedemontis. Item unitæ erant comunitates Ast, Alexandria, Terdonæ, Valentia (1), Cassinarum forensitarum, Mediolani, Papiæ, Vercellarum, Novariæ, Albæ, Cunei, Montisregalis, Clarasci, & Busqu. . . . & pro quibus idem Senescalcus habebat mandatum. Pro Marchione erant delegati Manfredus Audo, Borralus filius Henrici marchionis de Ponzono, Allegimus de Braida, & Antonius Aloa; & promittebat idem Senescalcus ipsis procuratoribus defendere dictum Marchionem Salutiarum, & ejus liberos contra omnes, & ad recuperandum suam terram, & jura sua contra omnes occupatores, præterquam ab obedientibus ipsi Regi, in quibus obe-